

PARS PRIMA



Hobbitus, -ī m

in casā sub terrā sitā¹
Hobbitus habitat. multī
Hobbitī in casīs sub terrā
sitīs habitant; sed hic
Hobbitus - Hobbitus
noster - casam optimam et
pulcherrimam habet.
nōmen huic Hobbitō est
Bilbō Baggins.



Bilbo Baggins in casa
sub terra sita habitat.



petasus, ī m



baculum, ī n



senex magnum petasum gerit et longum
baculum in manu tenet.

hodiē Bilbō in hortō prope
casam quiescit. Bilbō senem,
qui in viā ambulat, spectat.
senex magnum petasum gerit
et longum baculum in manū²
tenet. 'quis est ille homō
novus?' Bilbō anxius sēcum
cōgitat³. subitō senex ā viā ad
Bilbōnem accēdit et eum
salūtat.

'salvē!' Bilbō eī inquit,
'sedē mēcum in terrā et
quiesce!'

'tēcum quiescere nōn debeō.' senex Bilbōnī respondet. 'nam
necesse est mihi⁴ Hobbitum quaerere. cupiō invenīre unum
Hobbitum quī multās terrās novās vidēre vult.'

¹ situs, -a, -um *situated*

² in manū - in his hand

³ cōgito, cōgitāre - think, ponder

⁴ necesse est + dat *it is necessary for*

Bilbō diū tacet et dē verbīs senis cōgitat. tum eī commōtus respondet 'sed Hobbitī terrās novās numquam vidēre cupiunt. Hobbitīs valde placet domī manēre et cum amīcīs cēnāre.' senex diū nihil dīcit. Bilbō tandem eum rogat 'quis es, senex? quod nōmen est tibi?'

'sum Gandalphus.' senex respondet.



magus, ī m

'tū es Gandalphus!' Bilbō clāmat; nam Gandalphus est magus nōtissimus. 'fābulās dē tē semper in tabernā audiō. cūr tū hīc in *Colle*⁵ nunc es?'

'volō invenīre,' Gandalphus iterum inquit, 'Hobbitum quī per multās terrās novās īre mēcum vult.'



thea, -ae f

'redī crās, sī vīs,' dīcit Bilbō 'et mēcum theam bibe. sed nōlī de terrīs novīs iterum dīcere.' Bilbō casam suam intrat et iānuam claudit⁶. Gandalphus interea signum novum in iānuā casae scrībit et ā casā Bilbōnis lentē ad viam ambulat.

postrīdiē Bilbō diligenter cēnam bonam magō parat. 'Gandalphum, magum notissimum, in casā meā exspectō,' sibi dīcit. subito aliquis⁷ iānuam pulsat. ad iānuam festīnat et eam celeriter aperit⁸. salve Gand...', incipit⁹. sed ante iānuam nōn magum nōtissimum sed pūmiliōnem ignōtum videt.



pūmiliō,
pūmiliōnis m



Bilbo non magum notissimum sed pumilionem ignotum videt.

⁵ *Colles*, -is m - patria Bilbōnis et Hobbitōrum

⁶ claudio, claudere - close

⁷ aliquis - someone

⁸ aperio, aperīre ⇔ claudio, claudere

⁹ incipio, incipere - begin

‘salvē!’ pūmiliō Bilbōnem salūtat, ‘Dwalinus sum.’ Bilbō diū tacitus stat. Dwalinus intereā Bilbōnem tacitum diū spectat. tandem Bilbō ‘intrā, sī vīs,’ invītus inquit, ‘et mēcum cēnā.’ Dwalinus cum Bilbōne casam intrat.

mox aliquis iterum iānuam pulsāt. Bilbō iterum ad iānuam festīnat. ‘tandem Gandalphus adest,’ Bilbō dīcit. sed - iterum - non Gandalphus sed alter pūmiliō ante casam stat. ‘sum Balinus,’ Balinus dīcit. per iānuam Balinus Dwalinum videt. ‘salve Dwaline,’ salūtat et casam Bilbōnis intrat. Bilbō multōs amīcōs habet et eōs valde amat. sed quī sunt hī duo pūmiliōnēs sibi ignōtī? cūr in casā eius sunt? theam ad Dwalinum et Balinum portat.

mox aliquis iterum iānuam pulsāt. ‘Gandalphus!’ Bilbō sibi inquit. sed iterum non est! duo novī pūmiliōnēs Bilbōnem nunc salūtant. ‘Kilius sum,’ unus ex eīs clamat, ‘et hic Filius est.’ casam statim intrant et iānuam claudunt. Bilbō, nōn laetus, cibum Kilinō et Filiō trādit. mox Bilbō alium sonum audit et iterum iānuam aperit. quinque pūmiliōnēs ante sē videt - Dorius et Norius et Orius et Oinus et Gloinus. Bilbō - nunc irātus - omnēs per iānuam in casam dūcit et ad eōs theam et cibum portat. ‘ubi est ille magus?’ Bilbō miser neminem rogat.

omnēs pūmiliōnēs multum cibum consumunt et multam theam bibunt. mox aliquis iānuam foriter pulsāt. Bilbō lentē iānuam accēdit et eam irātissimus aperit. ante eum stant quattuor pūmiliōnēs. post eōs stat Gandalphus. ‘hī hominēs sunt Bifur et Bofur et Bombur et Thorinus,’ Gandalf inquit et rīdet.¹⁰ ‘nunc omnēs adsumus.’ Gandalphus et quattuor amīci casam intrant. Bilbō theam in mensā ante magum ponit. ‘non theam,’ Gandalphus dīcit, ‘sed vīnum cupiō.’

‘et ego quoque!’ Thorinus clamat. Bilbō cēnam aliam parat.

V

quinque

IV

quattuor



mensa, ae f

¹⁰ rideo, ridere - smile



thesaurus, i m

post cēnam pūmiliōnēs carmen pulchrum cantant. per carmen narrant longam fābulam dē magnō thesaurō ā pūmiliōnibus ōlim¹¹ raptō¹². cantant dē ingente dracōne malō quī nunc in antrō suō thesaurum pūmiliōnum custōdit.



draco,
draconis m

*nōbis est necesse ire,
nostrum thesaurum invenire,
in antrō dracōnis malī,
semper furibus paratī.*



antrum, i n

dum pūmiliōnēs cantant, Bilbō dē magnā terrā cōgitat et rīdet; cōgitat dē collibus et montibus, de undīs et maribus, de arboribus et silvīs; etiam dē thesaurō pūmiliōnum et dracōne, dē gladiīs et hastīs et bellō. subitō Bilbō novās terrās vidēre valde vult. sed mox de Collē et dē casā suā et dē bonīs amīcīs et optimīs cēnīs iterum cōgitat et iterum domī manēre et cum amīcīs cēnāre cupit.



fur, furis m



gladiūs, i m



pumiliones in casa Bilbonis sedent et
carmen pulchrum cantant.

¹¹ ōlim - once upon a time

¹² raptus, a, um - stolen

subitō omnēs Bilbōnem spectant. 'volō omnēs pūmiliōnēs et etiam Gandalphum mē et casam meam statim relinquere et numquam redīre!' sēcum cōgitat - sed nihil dīcit. nēmō tamen¹³ aut eum aut casam eius relinquit. immo¹⁴ Thorinus surgit et dīcere incipit. 'tacēte omnēs!' Gandalphus inquit. cēterī tacent et Thorinum diligenter audiūnt.

'Gandalphe, pūmiliōnēs, Dominus Baggins! adsumus in casā amīcī carī et comitis bonī, illius Hobbitī Bilbōnis Baggins.'

'comes?' Bilbō sēcum cōgitat. 'ego?' illud verbum eī non placet.

'opus est¹⁵ consiliō,' Thorinus pergit.¹⁶ mox iter¹⁷ nostrum incipiēmus.¹⁸ sed hoc iter est nōbis magnum periculum. fortasse¹⁹ numquam redībimus.²⁰ fortasse nōs omnēs - etiam Bilbō - mox mortuī erimus!²¹



lectus, i m

Bilbō subitō clamat et ad terram cadit. pūmiliōnēs celeriter surgunt et ad eum festīnant. Bilbō in terrā iacet et perterritus 'numquam redībimus!' et 'mortuī erimus' sibi inquit. cēterī eum ā terrā tollunt et ad lectum portant. 'est Hobbitus saepe commotus,' Gandalphus dīcit et pūmiliōnēs ā lectō dūcit. 'sed est Hobbitus optimus, credite mihi.' Bilbō in lectō manet sed cēterōs audīre potest - dē Bilbōne dīcunt!

¹³ tamen - however

¹⁴ immo - rather, on the contrary

¹⁵ opus est + abl - there is need of

¹⁶ pergo, pergere - continue

¹⁷ iter, itineris n - journey

¹⁸ incipiēmus (future tense) - we will begin

¹⁹ fortasse - perhaps

²⁰ redībimus (future tense) - we will return

²¹ erimus (future tense) - we will be

Gloinus inquit 'meā sententiā²², Bilbō comes malus erit²³! clamor eius dracōnem excitāre potest! sī in antrō dracōnis iterum clamābit²⁴, dracō eum - et nōs - statim oppugnābit²⁵. hanc casam intravī²⁶ quod signum in iānuā vīdī²⁷. sed, meā sententiā, hic Hobbitus fur bonus nōn est!'

mox Bilbō ē lectō surgit et dīcere incipit²⁸; 'tē, Gloinum, audīre possum. tū putās²⁹ mē esse comitem malum. tū putās mē furem bonum nōn esse. sed fur nōn sum! necque est signum in meā iānuā. ego sum - tamen - Hobbitus fortis!'



lucerna, ae f




charta, ae f
geōgraphica



pictūra, ae f

'signum in iānuā tuā est.' Gandalfus subito interpellat³⁰. 'ego ipse signum in iānuā tuā scripsī³¹!' magus irātus est. 'id scripsī, amīcī, quod, meā sententiā, Bilbō fur optimus erit! fur est quod ego putō eum furem esse! Gloine, sedē et tacē! Bilbō, portā ad mē lucernam; nam lucem cupiō.' Gloinus statim sedet et tacet. Bilbō lucernam invenit et eam ad mensam portat.

Gandalf chartam geōgraphicam in mensā pōnit. omnēs circum mensam stant et chartam diligenter spectant. 'ecce!' Gandalf inquit. 'mōns dracōnis!' in chartā est magnus mōns. prope montem est parva pictūra ingentis dracōnis.



²² meā sententiā - in my opinion

²³ erit (future tense) - will be

²⁴ clamābit (future tense) - will shout

²⁵ oppugnābit (future tense) - will attack

²⁶ intravī (perfect tense) - I entered

²⁷ vīdī (perfect tense) - I saw


²⁸ incipiō, incipere - begin

²⁹ putō, putāre - think

³⁰ interpello, interpellāre - interrupt

³¹ scripsī (perfect tense) - I wrote/drew

sed Thorinus statim dicit 'nōn necesse est nōbis³² chartam geōgraphicam spectāre, Gandalphe. hic mōns est nōtus mihi et nōbis omnibus. etiam terra quae circum montem iacet nōbis nōta est.'



manus ianuam occultam in monte ostendit.

est pictura draconis in chartā', Balinus inquit, 'sed facile³³ est draconem invenire! eum vitare³⁴ difficile³⁵ est!'



manus, ūs f

'sed spectā manum in chartā scriptum³⁶!' Gandalphus respondet. 'manus ostendit iānuam occultam³⁷ quae in montem dūcit. haec iānuā vōbis ignōta est. sed montem et antrum draconis per hanc iānuam intrāre possumus.'

³² necesse est + dat *it is necessary for*

³³ facile - easy

³⁴ vitō, vitāre - avoid

³⁵ difficile ↔ facile

³⁶ scriptus, a, um - written, drawn

³⁷ occultus, a, um - secret

‘sed estne haec iānua ignōta Veterī Smaugī³⁸?’ Thorinus rogat. ‘fortasse³⁹ Smaugī iam nōta est. fortasse Smaug saepe per hanc iānuam montem intrāre et ē monte exīre solet⁴⁰.’

‘per hanc iānuam Smaug īre nōn potest,’ magus respondet. ‘nam est iānua parva. trēs hōminēs per iānuam vix ambulāre possunt.’

‘trēs hominēs!’ Bilbō inquit. ‘est ianua, meā sententiā⁴¹, nōn parva sed ingens.’ Bilbō - nunc laetus - dē monte cōgitat. chartae geōgraphicae eī valdē placent. chartam pulchram *Collis* in casā habet et eam saepe spectat.

‘et,’ Gandalphus pergit⁴², ‘cum chartā erat⁴³ parva clavīs argentea⁴⁴. ecce!’ clavem argenteam Thorinō tradit. ‘eam curā!’ inquit.



clavīs, is f



torques, is f



tunica, ae f

Thorin clavem laetus accepit et eam in parvā torque sub tunicā ponit. hunc clavem habēre Thorinō valde placent.



Antiquus Smaugus
et thesaurus pumilionum

³⁸ Vetus Smaug, Veteris Smaugis - Old Smaug

³⁹ fortasse - perhaps

⁴⁰ soleō, solēre - be accustomed

⁴¹ meā sententiā - in my opinion

⁴² pergo, pergere - continue

⁴³ erat (imperfect tense) - there was

⁴⁴ argenteus, a, um - made of silver




oppidum, i n



cuniculus, i m

‘meā sententiā,’ Thorin inquit, ‘ad antiquum oppidum Dal⁴⁵ ambulāre debēmus. oppidum Dal sub monte situm⁴⁶ est.’ deinde Thorinus cōgitat. ‘minimē. nōn est consilium bonum; nam dracō saepe ē monte per magnum cuniculum prope oppidum exit.’ Thorinus Bilbōnem spectat. ‘fortasse tu, noster fur, consilium habēs.’

‘fortasse.’ Bilbō iterum commōtus anxiusque respondet. ‘narrā mihi iterum dē thesaurō et dracōne et antrō et monte. cuius est thesaurus? cūr dracō in antrō thesaurum habet? ubi est ille mōns?’



Thorin gemit.⁴⁷ ‘sed carmen et colloquium iam audivīstī⁴⁸! chartam habēs! cur necesse est mihi iterum fābulam narrāre.’ sed fābulam narrāre tandem constuit. ‘ōlim, ubi meus avus vivēbat⁴⁹, hostēs fortēs pūmiliōnēs oppugnāverunt⁵⁰ et eōs ā casīs suīs expulerunt⁵¹. pūmiliōnēs familiās suās ad hunc montem’ - Thorinus montem in chartā ostendit - ‘dūxērunt⁵² et sub monte habitāre constituērunt⁵³. in monte urbem magnum sub terrā situm aedificāverunt⁵⁴. diū omnēs labōrābant⁵⁵. viās et casās et tabernās et ludōs et etiam hortōs sub terrā fēcērunt⁵⁶.

⁴⁵ antiquus, a, um oppidum, i n Dal, is n - the ruined town of Dale

⁴⁶ situs, -a, -um *situated*

⁴⁷ gemo, gemere - groan

⁴⁸ audivīstī (perfect tense) - you heard

⁴⁹ vivebat (imperfect tense) - was alive

⁵⁰ oppugnaverunt (perfect tense) - attacked

⁵¹ expulerunt (perfect tense) - drove out

⁵² duxerunt (perfect tense) - led

⁵³ constituerunt (perfect tense) - decided

⁵⁴ aedificaverunt (perfect tense) - they built

⁵⁵ laborabant (imperfect tense) - were working

⁵⁶ fēcērunt (perfect tense) - they made



gemmae, arum
f pl



aurum, i n



gladius, i m

oppidum Dal prope montem aedificāvērunt et multī pūmiliōnēs in hōc oppidō sub caelō habitābant⁵⁷. intereā multās gemmās et multum aurum in monte invēnērunt⁵⁸. itaque dracō ad montem vēnit⁵⁹; nam dracōnes gemmās et aurum ā hominibus pūmiliōnibus capere solent⁶⁰. hic drāco, nomine Smaug, cīvēs montis subitō oppugnāvit⁶¹. pūmiliōnēs arma - gladiōs et hastās - cēpērunt⁶² et montem diū et fortiter defendērunt⁶³. dracō tamen militēs mox superāvit⁶⁴. tum montem intrāvit⁶⁵ et omnēs pūmiliōnēs - et virōs et fēminās et puerōs et puellās - occīdit⁶⁶. multōs annōs⁶⁷ in antrō sub monte habitat dracō. saepe ē monte exīre et oppidum Dal oppugnāre solēbat⁶⁸. mox omnēs civēs Dal oppidum relīquerunt⁶⁹. nunc nēmō nec in monte nec in Dale habitat. Dracō intereā ingentem thesaurum bene custodit. tempus nōbis nunc est⁷⁰ thesaurum nostrum recipere⁷¹. Thorinus - et cēterī - Bilbōnem spectant.



draco milites
superat

⁵⁷ habitābant (imperfect tense) - were living

⁵⁸ invēnērunt (perfect tense) - found

⁵⁹ advēnit (perfect tense) - came

⁶⁰ solēō, solēre - be accustomed

⁶¹ oppugnāvit (perfect tense) - attacked

⁶² cēpērunt (perfect tense) - seized

⁶³ defendērunt (perfect tense) - defended

⁶⁴ superāvit (perfect tense) - overcame

⁶⁵ intrāvit (perfect tense) - entered

⁶⁶ occīdit (perfect tense) - killed

⁶⁷ multōs annōs - for many years

⁶⁸ solēbat (imperfect tense) - he was accustomed

⁶⁹ relīquerunt (perfect tense) - abandoned

⁷⁰ tempus est - it is time

⁷¹ recipiō, recipere - take back



ientāculum, T n

‘ego consilium habeō,’ Bilbō anxius inquit. ‘meā senentiā, vōs debētis ad montem īre et locum investigāre⁷². debētis iānuam occultam⁷³ ipsī vidēre. clavem habētis. et necesse est dracōnī nonnunquam⁷⁴ dormīre.’ Bilbō fessus est. ‘nunc tamen⁷⁵ tempus est nōbis dormīre. ego ientāculum vōbis parābō⁷⁶ ante vestrum iter⁷⁷ incipiētis⁷⁸.’

‘ante *nostrum* iter!’ Thorinus respondet. ‘nam necesse est tibi nōbiscum īre. necesse est tibi locum investigāre et necesse est tibi iānuam occultam aperīre⁷⁹ et viam in montem invenīre; nam tū es fur!’

Bilbō cēterōs relinquit et in lectō valdē commōtus iacet. Thorinus iterum cantat et Bilbō eum audīre potest.

*nōbis est necesse īre,
nostrum thesaurum invenīre,
in antro dracōnis malī,
semper furibus paratī.*



sōl, sōlis m

Hobbitus tandem dormit, sed carmen in suō animō per noctem manet. postridiē, ubi sōl iam est in caelō, oculōs tandem aperit.



⁷² investigō, investigāre - investigate

⁷³ occultus, a, um - secret

⁷⁴ nonnunquam - sometimes

⁷⁵ tamen - however

⁷⁶ parabo (future tense) - I will prepare

⁷⁷ iter, itineris n - journey

⁷⁸ incipiētis (future tense) - you (pl) will begin

⁷⁹ aperio, aperire - open